DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVIII. NOVEMB.

M. ISAAC RENAVDOT, Doctore Medico Præſide.

Eſt ne motus pulmonum naturalis & inſitus? 1088

I N pulmone, ſpirandi inſtrumento, ineſt raritas quædam & aſſimilis ſpongiæ mollitudo, aptiſſima ad hauriendum concipiendumque aërem, quem perenni motu ducit redditque pernecesſarium ad vitam. Hæc in caloris & humoris arctiſſima conjunctione poſita, nutritione definitur, producitur: Perpetuò quippè iſtorum effluvio brevi pereundum foret, niſi novi ſubinde aëris, cibi, potuſque adminiculo ſuſtineremur: Nempè ſolidioris ſubſtantiæ iactura, cibo; humidioris, potu ſarcitur: nonne & arteriarum ope, reſpiratuque congeniti ſpiritus aluntur & reficiuntur influentes? Licet autem abſque cibo & potu hominis vita vltra ſeptimum diem prorogari queat, eoque maximè tempore quo cibis eſt vacuum corpus animus ad præcipuas functiones obeundas exurgat alacrior; attamen citra præſentem caſum carere non poteſt continuo aëris hauſtu. Hujus vitio igneus in phthiſicis marceſcit vigor, defectu ſuaviſſima vitæ lampas in ſubmerſis extinguitur: Siquidem τὸ πνεῖ τὸ πνεῦμα τροφή. Hinc in corde circa calidum nativum indeſinentes occupantur operæ, ac reciproco diaſtoles ſyſtoleſque motu facultas vitalis concitata novam ſpiritibus materiem ſubminiſtrare, caloris inſiti temperiem ſervare, conceptaſque fuligines explodere nititur; ſed fruſtrà, niſi pulmonum operi diligentiùs inſtantium flabello recreetur.

C ONSTRVCTOS cordis gratiâ pulmones docet eximia reſpirationem inter & pulſum cognatio; vt enim eadem eſt vtriuſque neceſſitas idemque finis, ita & conſimilis motus; cujus organa quantumvis diverſa, ab eodem tamen agitantur motore. Cor facultate inſitâ diaſtolen & ſyſtolen efficit, pulmo dilatatione & compreſſione ſibi innatâ inſpirationis & expirationis author eſt. Irrequietum cordis motum ſic comitatur reſpiratio, vt vel illo ceſſante, vel hâc aliquantulum intercepta hominem ſtatim extingui neceſſe ſit; nec magis ἄπνοια quàm ἀσφυξία ſive in ſyncopticas, ſive in præfocatas vteri vitio mulieres cadere poſſit. Cordis recreandi gratiâ aërem trahit pulmo, cui nutriendo vt cor mutuum reddat, dextrum ventriculum obtinuit, vt dum per venam arterioſam ad illum deportatur ſanguis, ab eodem aër per arteriæ venoſæ tubulum in ſiniſtrum cordis ſinum influat, ſeſeque futuri ſpiritus materiem præbeat.

A ERIS attractio & expulſio, quacunque parte fiat, ſpiratio eſt: Si meat in corpus, remeatque per cæca cutis ſpiracula, tranſpiratio dicitur: conſpicua enim, in qua per os adducitur redditurque ſpiritus, reſpiratio nuncupatur: Hujus certè quàm illius longè major neceſſitas, & longè alia inſtrumenta, quæ & diverſi ſunt generis: Aërem deducunt larynx & aſpera arteria, excipit inflabilis pulmo: levem ac placidiorem reſpirationem explet diaphragma, eam quæ cum manifeſto motu conjuncta eſt adjuvant thoracis muſculi. Sed omnium præcipuus eſt pulmo, qui nullius partis dominio mancipatus, mirâ quadam & continua reciprocatione thoracem quatit fugitque, vix credas, illius fermè movet muſculos: Vt non injuriâ cenſeatur πρῶτον καταψυκτικὸν μόριον; In eam rem è ſpumoſo ſanguine concrevit σπογγώδης καὶ πενθρηνιώδης: Subſtantiæ quidem & coloris eſt varij, at conſtantis figuræ; nec ita exigui ſenſus, quippè qui nervos ab vtroque ſtomachico, ac membranam prætenuem poriſque multis perviam à pleurâ mutuetur. Ampliſſimum & calidiſſimum hoc viſcus triplex vaſorum καθ᾽ ὅλον diſſeminatorum genus admittit; jacet in vtraque thoracis cavitate, quam implet totam, duabus propemodum partibus æquis quaſi binis vtrinque alis diſtinctum, quibus cor vndique ambit: An ex eius natura probè perſpectâ de totius corporis temperie judicium ferri poteſt?

C ORPORIS humani partes vt ad varias munerum geſtiones deſtinatæ ſunt, ita diverſos obeunt motus: quorum alij noſtros fugiunt ſenſus, alij manifeſtè ſentiuntur. quamdiu ſuperſtes eſt animal, tamdiu omnes ejus particulæ motum nutritionis explent, augmenti verò quoad iuſtos magnitudinis terminos attigerit: Quo tempore profert ſe motus generationis, quæ & propria ſibi vendicat inſtrumenta. Motus qui ſub ſenſum cadunt aut à natura perficiuntur, aut ab anima: Naturales, quales ſunt cerebri, cordis, arteriarum & pulmonis, ingeniti ſunt, & ita partium ipſarum ſe ſe ſua vi cientium proprij, vt etiam nobis inſciis invitiſque fiant: Qui ab anima proficiſcuntur toti pendent à voluntatis arbitrio · ſic muſculorum operâ flectuntur & ad nutum extenduntur membra omnia. Mixti ſunt quos partim natura, partim exequitur anima: ſic in fœtus ac fæcum excluſione τὸ ψυχικὸν τῷ φυσικῷ conjunctum eſt. Nec aliter ſe res habet in reſpiratione; in quâ tamen τὸ φυσικὸν longè præſtare docet perpetuus pulmonis nunquàm defeſſi motus: revincit denique ducendi de cœlo ſpiritus ſumma neceſſitas: Scilicet dum arteriarum in modum attollitur pulmo, impletur non vtris ſed follis inſtar: dùm verò fatiſcens collabitur atque reſidet, impurus aër ejuſque ac cordis penetralibus concluſa fuligo, ejicitur.

V T cor & pulmo vicinitatis conjunctione, vaſorum communione & muneris ſocietate velut arctiſſimis vinculis colligentur, non eodem tamen cientur motu, licet eodem fine; frequentiùs quippè movetur cor, nec reſiſtit aut concitatur ad nutum: Thoracis muſculos non duces ſui motus agnoſcit pulmo, ſed comites: quanquam enim eorum vnus idemque finis ſit, à diverſis tamen impelluntur cauſis. Eorum quos carus aut apoplexia deprehendit pulmo ſe contrahit dilatatque, tantâ vi vt partes omnes ſibi circumjectas validè percutiat, non arbitrario motu qui periit, ſed naturali & ſuo. Nec verò ob eam rem movetur vt completa confertaque ſint omnia, nulluſque ſit locus inanis, & qui vacet corpore: inflicto ſiquidem vel intimo thoraci vulnere, revulſoque ſterno ſectæ animantis vivæ, nihil non aliquo corpore obſeſſum reperias; vti nec in leviori illa reſpiratione quæ pulmonis & diaphragmatis ope abſolvitur. Innatâ certè vi attollitur ſubſidetque pulmo, ſive placidius ſive altius ſeſe efferat aut demittat:

Eſt ergo motus pulmonum naturalis & inſitus.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Bertinus Dieuxivoye.
M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes Baptiſta Moreau.

M. Euſebius Renaudot.
M Iſaac Renaudot. Præſes.
M. Antonius Morand.

M. Claudius Quiquebeuf.
M. Antonius Charpentier.
M. Franciſcus Pijart.

Proponebat Lutetiæ DIONYSIVS DODART Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LVIII.